MISSÆ & ORATIONES PROPRIÆ QUORUNDAM NOVORUM FESTORUM S. R. ECCLESIÆ

ORD. S. FRANCISCI SERAPHICI;

Ac trium Diœcesium, videlicet: Pragensis, Olomucensis, & Wratislaviensis;

A Sacra Rituum Congregatione approbatæ, & jam sæpius recusæ.

JANUARIUS.

23. In Festo Desponsationis B. Mariæ V. Missa prop. Ubi verò non habetur, sumatur ex Fest. Nativit. ejusdem, mutato nomine suis locis. Epistola ex Missa *Rorate*: Evang. *ex festo S. Josephi.* 19. Martij. *Credo.*

Oratio.

OMnipotens mitissime Deus, qui B. Joseph, justum filium David, B.V. Mariæ Matri tuæ Sponsum prævidisti, tuúmque Nutritium elegisti, da, quæsumus; ut ejus precibus & meritis Ecclesia tua tranquillâ pace lætetur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

Fit commemorat. S. Emerentianæ V. M. *ex Romano.*

Secreta.

LAudis tuæ hostias immolamus Rex Regum, & Domine Dominantium, qui ne à reprobo Rege Herode videreris, super terram per manus B. Joseph in Ægyptum, & inde in Judæam deferri voluisti: præsta nobis, quæsumus; ut quem nutritorem in terris habere voluisti, pro nostris etiam delictis exaudias orantem in cœlis. Qui cum Deo Patre, & Spiritu S. vivis, &c.

Postcommunio.

GUstu salutaris hostiæ recreati, omnipotentiam tuam Domine suppliciter exoramus, ut qui ad redimendum hominem de cœlo descendens, atque ex utero B.M.V. carnem assumens, B. Josephi manibus subdi voluisti, ejus oratione semper tuæ nos subdi voluntati, tuísque facias inhærere mandatis. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

25. Pro commem. S. Projecti Martyris.

Oratio.

MArtyris tui Projecti nos, Domine, interventio gloriosa commendet, ut quod nostris actibus non meremur, ejus precibus assequamur. Per Dominum, &c.

Secreta, & Postcommunio ex commun. unius Mart. non Pontif. *1. loco.*

28. In Festo B. Caroli Magni Imperatoris & Confess. Missa. *Os justi.* ex commun. Confess. non Pontif. Evang. *Homo quidam nobilis.* Ex fest. *Sancti* Ludovici Regis. 25. Augusti; *sine Credo.*

Oratio.

DEus, qui superabundanti fæcunditate bonitatis tuæ B. Carolum Magnum Imperatorem, deposito carnis velamine, beatæ immortalitatis tra-

bea sublimâsti: concede nobis supplicibus tuis, ut quem ad propagationem veræ fidei Imperij honore exaltâsti in terris, pium intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum, &c.

Secreta & Postcommunio ex eodem communi.

29. In Festo S. Francisci Salesij, Episcopi Confessoris. Missa. *Statuit.* de communi Confess. Pontif.

Oratio.

DEus, qui ad animarum salutem B. Franciscum Confess. tuum atque Pontificem omnibus omnia factum esse voluisti, concede propitius; ut charitatis tuæ dulcedine perfusi, ejus dirigentibus monitis, & suffragantibus meritis, æterna gaudia consequamur. Per Dominum, &c.

Secreta & Postcommunio ex eodem communi.

31. In Festo B. Ludovicæ Albertoniæ, Viduæ. Missa. *Cognovi Domine.* ex commun. nec Virg. nec Mart. Epist. *Viduas honora.*

Oratio.

DEus, qui nos annuâ B. Ludovicæ famulæ tuæ solemnitate lætificas, da, quæsumus; ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per Dominum, &c.

Secreta & Postcommunio. de eodem communi.

FEBRUARIUS.

1. Pro commemorat. S. Brigidæ Virg.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitius; ut qui B. Virginis tuæ Brigidæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum, &c.

4. In Festo S. Andreæ Corsini, Episc. & Conf. Missa. *Statuit ei Dominus.* ex communi Confess. Pont.

Oratio.

DEus, qui in Ecclesia tua nova semper instauras exempla virtutum, da populo tuo B. Andreæ Confessoris tui atque Pontificis ita sequi vestigia, ut assequatur & præmia. Per Domin. &c.

5. In Festo BB. Mart. Japonensium. Missa. *Salus autem justorum.* de communi plurimorum Martyrum.

Oratio.

DEus, qui nos annuâ SS. Martyrum tuorum Petri Baptistæ, & Sociorum ejus solemnitate lætificas, concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Domin.

℣. Hæc est vera fraternitas. Evang. *Descendens Jesus de monte.* *Credo.*

6. In Festo S. Dorotheæ Virg. & Mart. Missa. *Me expectaverunt.* ex communi Virg. & Mart. *2. loco.*

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, in cujus nomine gloriosa Virgo & Martyr Dorothea multorum tormentorum genera superavit, te suppliciter exoramus, ut ejus meritis & precibus cuncta pericula vincamus, & nobis ipsam celerem adjutricem in nostris necessitatibus sentiamus. Per Dominum

7. In Festo B. Antonij Stron. Confessor. Missa. *Justus ut palma.* de communi Confess. non Pont. *2. loco.*

8. In Festo S. Petri de Nolasco Confess. Missa. *Justus ut palma.* ex communi Confess. non Pontif. *2. loco.*

Oratio.

DEus, qui in tuæ charitatis exem-

plum ad fidelium redemptionem S. Petrum Nolascum Ecclesiam tuam novâ prole fæcundare divinitùs docuisti, ipsius nobis intercessione concede, à peccati servitute solutis, in cœlesti patria perpetuâ libertate gaudere. Qui vivis & re.

9. In Festo S. Apolloniæ Virg. Mart. Missa. *Loquebar. 1. loco.*

Oratio.

PRæsta quæsum, omnipotens Deus: ut B. Apolloniæ Virginis & Martyris tuæ passionem debitâ recolentes veneratione, à periculis corporis & animæ liberemur, & æterni Regni consortia consequi mereamur. Per Dominum.

Secreta & Postcommun. ex eadem Miss.

10. In Festo S. Scholasticæ Virg. Missa. *Dilexisti.* ex commun. Virg. Evang. *Accesserunt ad Jesum.* ex festo S. Agathæ.

Oratio.

FAmiliam tuam, quæsumus Domine, meritis B. Scholasticæ Virginis propitius respice: sicut ipsius precibus ad obtinendum, ut concupivit, imbrem cœlitus descendere fecisti; ita ejus supplicationibus ariditatem cordis nostri supernæ gratiæ rore digneris perfundere. Per Dominum.

Secreta & Postcommunio. ex eodem communi.

12. In Festo S. Raymundi de Pennafort Confess. Missa. *Os justi.* ex commun. Confess. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Raymundum pœnitentiæ Sacramenti insignem ministrum elegisti, & per maris undas mirabiliter traduxisti; concede, ut ejus intercessione dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum.

Secreta & Postcommun. ex eodê communi.

13. In Festo S. Canuti Regis & Mart. Missa. *In virtute tua.* ex communi unius Mart. non Pontif. Evang. *Si quis vult post me venire*

Oratio.

DEus, qui ad illustrandam Ecclesiam tuam B. Canutum, Danorum Regem martyrij palmâ, & gloriosis miraculis decorare dignatus es; concede propitius, ut sicut ipse Dominicæ Passionis imitator fuit, ita nos per ejus vestigia gradientes, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Per eundem, &c.

Secreta & Postcomm. ex eadem Missa.

14. In Festo S. Valentini Episc. & Mart. Missa. *Statuit ei Dominus.* ex communi unius Mart. Pontif.

Oratio.

COncede nobis Domine per preces Sanctorum tuorum, ut festa Martyris tui Valentini sine cessatione venerantes, & fidei muniamur auxilio, & magnifico proficiamns exemplo. Per Dominum.

Fit commem. S. Valentini Presbyteri *ex Romano.*

Secreta & Postcomm. ex eodem comm.

16. In Festo S. Julianæ Virg. & Martyr. Missa. *Loquebar.* ex com. Virg. & M.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, da nobis in festivitate S. Julianæ Martyris congruâ devotione gaudere, ut potentiam tuam in ejus passione laudemus, & provisam nobis percipiamus auxilium. Per Domin.

MARTIVS.

4. In Festo Translationis S. Wenceslai

Ducis & Mart. Missa. *In virtute tua.* ex communi unius Mart. non Pontif. Evang. *Si quis vult venire.*

Oratio.

COncede, quæsumus Domine, B. Martyrem tuum Wenceslaum intervenire pro nobis, cujus diem celebramus translationis; quia tunc nos salvari confidimus, si ejus precibus tua gubernetur Ecclesia, cujus lætamur te donante festivitate gloriosâ. Per Domin.

Secreta.

MArtyris tui Wenceslai precibus, Dñe plebis tuæ dona sanctifica, ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Domin. *Postcommunio.*

SUmptis Domine remedijs cœlestibus, tuorum mundentur corda fidelium, ut B. Martyris tui Wenceslai translationem, quam sacris mysterijs læti recolimus, piâ devotione prosequamur. Per Dominum.

6. In Festo S. Coletæ Virg. Missa. *Vultum tuum.* ex comuni Virg. non Mart.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui B. Coletam Sponsam tuam innumeris dotibus decorâsti; tribue, quæsumus, ut quo spiritu Seraphicam regulam pristinæ puritati restituit, eodem intus reformari mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate ejusdem Spiritûs S. Deus, &c. Evang. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus.*

Secreta & Postcomm. ex eadem Missa.

8. In Festo S. Rosæ Viterbiens. Missa. *Dilexisti justitiam.* ex commun. Virg.

Oratio.

DEus, qui B. Rosam Sanctarum tuarum Virginum collegio aggregare dignatus es: tribue nobis, quæsumus, ut ejus precibus & meritis à culpis omnibus expiemur, & tuæ Majestatis consortio perfruamur æterno. Per Dominum.

Secreta & Postcomm. ex eodem communi Virg.

9. SS. Cyrilli & Methudij Confess. Pontif. Missa. *Sacerdotes Dei.* de communi Confess. Pontif.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos per Beatos Pontifices & Confessores Cyrillum & Methudium ad unitatem Fidei Christianæ vocare dignatus es; præsta, quæsumus, ut qui præsenti eorum festivitate lætamur, ipsorum etiam meritis, gloriam consequi mereamur æternam. Per Dominum. Dicitur *Credo.*

Secreta.

PReces nostras, quæsumus Domine, & tuorum respice oblationes fidelium, ut tibi gratæ sint in tuorum festivitate Sanctorum, & nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Per Dominum.

Postcommunio.

QUæsumus omnipotens Deus, ut per quæ nobis munera dignaris præbere cœlestia, intercedentibus Sanctis tuis Cyrillo & Methudio despicere terrena concedas. Per Dominum.

13. In Festo B. Catharinæ Bononiensis Virg. Missa. *Vultum tuum.* ex communi Virg. 2. loco.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, Deus B. Catharinæ Virginis suffragijs adjuvari, cujus odore unguentorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Domin. Evang. *de decem Virginibus.*

Secreta.

ILlo nos igne in hoc Sacrificio offerendi, fac, quæsumus Domine, vehementer

ter incendi, quo B. Catharina Virgo seipsam tibi offerebat, jugiter famulari. Per Dominum, &c.

Postcommunio.

MAjestatem tuam Domine suppliciter exoramus, ut sicut B. Catharinæ Virginis corpus incorruptum servasti, ita nos facias per hæc sancta, quæ sumpsimus, ab omni culparum labe servari. Per Dominum.

14. In Festo SS. Perpetuæ & Felicitatis Mart. Missa & Oratio, *ut in communi Mart. non Virginum.*

15. In Festo S. Longini militis Martyr.

Introitus.

LÆtabitur justus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. *Psalm.* Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna fœlicitate locandus, præsta, quæsumus: ut intercessione beati Longini militis tui electi, liber sanctæ prædestinationis nos adscriptos retineat: ut de hoc felici gaudio collætemur: & ipsius sanctis meritis adjuvemur. Per Dominum.

Si in Quadrages. celebretur, fit commem. feriæ.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli *1. c. 4.*

CHarissimi. Communicantes Christi passionibus, gaudete: ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. Quoniam tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt? Itaque & hi, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

Graduale. Ps. 36. Justus cùm ceciderit non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. ℣. Tota die miseretur, & commodat, & semen ejus in benedictione erit.

Tract. Psal. 111. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorũ benedicetur. ℣. Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequentia S. Evangelij secundùm Joannem. *c. 19.*

IN illo tempore: Judæi rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad JEsum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit: & continuò exivit sanguis, & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus.

Offertorium. Psal. 20. Posuisti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petijt à te, & tribuisti ei.

Secreta.

OBlatis, quæsumus Domine placare muneribus: & intercedente

beato Longino martyre tuo à cunctis nos defende periculis. Per Dominum.

Communio. Joan. c.12. Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit.

Postcommunio.

SIt nobis Domine reparatio mentis, & corporis cœleste mysterium: ut cujus exequimur cultum, sentiamus effectum. Per Dominum.

Si hoc festum celebretur tempore Paschali, dicitur Missa ex com. Mart. temp. Paschali. Protexisti me DEus. *Evang. autem & oratio ut suprà.*

18. In Festo S. Patricij Episc. Confess. Missa. *Statuit.* de commun. Confess. Pontif.

Oratio.

DEus, qui ad prædicandam gentibus gloriam tuam B. Patricium Confessorem atque Pontificem mittere dignatus es: ejus meritis & intercessione concede, ut quæ nobis agenda præcipis, te miserante adimplere possimus, Per Dominum.

Secreta & Postcomm. ex eodē comm.

26. In Festo S. Castuli Mart. Missa. *In virtute tua.* ex commun. unius Mart.

Oratio.

DEus, qui nos hodierna die B. Castuli Martyris tui facis jucunda festivitate lætari, tribue, quæsumus, ejus nos semper & pijs devotionibus muniri, & orationibus adjuvari. Per Dominum.

Evang. *Si quis vult venire post me.* ex communi unius Mart. *2. loco.*

Secreta, & Postcommunio de eodem communi. *1. loco.*

Feria 6. post Dominicam Passionis Festum septem Dolorum B. V. M.

Introitus.

STabat juxta crucem JEsu Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Salome, & Maria Magdalene. ℣. Mulier, ecce Filius tuus, dixit JEsus: ad discipulum autem: Ecce Mater tua. ℣. Gloria Patri, &c. Stabat juxtà, &c. *Gloria in excelsis.*

Oratio.

DEus in cujus Passione secundùm Simeonis prophetiā dulcissimā animam gloriosæ Virginis & Matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui transfixionem ejus & passionem venerando recolimus, gloriosis meritis & precibus omnium Sanctorum cruci fideliter astantium intercedentibus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

Lectio Libri Judith.

BEnedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos. Benedicta es tu à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum & terram, qui hodie nomen tuum magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum: pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter angustias & tribulationes generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.

Graduale. Dolorosa & lachrymabilis es Virgo Maria, stans juxta crucem Domini JEsu Filij tui Redemptoris. Alleluja, alleluja. ℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, hoc crucis fert supplicium vitæ factus homo.

Post Septuagesimam omisso Alleluja, *dicitur Tractus.* Stabat Sancta Maria, cœli Regina, & mundi Domina juxta crucem Domini nostri JEsu Christi dolorosa. ℣. O vos omnes, qui transitis per

viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.

Temp. paschali: Alleluja, alleluja. Stabat Sancta Maria, cœli Regina & mundi Domina, juxta crucem Domini nostri JEsu dolorosa Alleluja. ℣. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.

Sequentia semper dicenda.

STabat Mater dolorosa
Juxta crucem lachrymosa:
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristantem & dolentem
Pertransivit gladius.
O quàm tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti!
Quæ mœrebat & dolebat,
Et tremebat cùm videbat
Nati pœnas incliti.
Quis est homo, qui non fleret,
Christi Matrem si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit JEsum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem natum,
Morientem desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eja Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum:
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo validè;
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare,
In planctu desidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari;
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filij.
Inflammatus & accensus,
Per te Virgo sim defensus,
In die judicij.
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratiâ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
Paradisi gloria. Amen.

Temp. paschali additur Allelujá.

Evangelium ex Missa votiva de B. V tempore paschali. Credo.

Offertorium.

REcordare Virgo Mater Dei, dum steteris in conspectu Domini, ut loquaris pro nobis bona, & ut avertas indignationem suam à nobis.

Secreta.

OFferimus tibi preces & hostias Domine JEsu Christe, humiliter supplicantes, ut qui transfixionem dulcissimi spiritûs beatæ Mariæ Matris tuæ precibus recensemus, suæ suorumque sub cruce Sanctorum consortium, multiplicato pijssimo interventu, meritis

mortis tuæ, meritum cum Beatis habeamus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

Præfatio de B. V. Et te in transfixione.

Communio.

FElices sensus Beatæ Mariæ Virginis, qui sine morte meruerunt Martyrij palmam sub cruce Domini.

Postcommunio.

SAcrificia, quæ sumpsimus Domine JEsu Christe transfixionem Matris tuæ & Virginis devotè celebrantes, nobis impetrent apud clementiam tuam omnis boni salutaris effectum. Qui vivis & regnas, &c.

APRILIS.

5. In Festo S. Vincentij Ferrerij Confess. Missa. *Os justi.* ex communi Confess. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam B. Vincentij Confessoris tui meritis & prædicatione illustrare dignatus es, concede nobis famulis tuis, ut & ipsius instruamur exemplis, & ab omnibus ejus patrocinio liberemur adversis. Per Dominum, &c.

9. In Festo S. Mariæ Ægyptiacæ.

Introitus.

COgnovi, Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliâsti me: confige timore tuo carnes meas: à mandatis tuis timui. *Psal.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui beatam Mariam Ægyptiacam de caligine vitiorum ereptam, exhibuisti tibi sponsam: exaudi nos propitius, & concede: ut ejus precibus, & meritis, à peccatorum nostrorum maculis emundemur. Per Dominum, &c.

Si celebretur in Quadrages. fit comm. fer.

Lectio libri Sapientiæ.

Proverb. c. 31.

MUlierem fortem quis inveniet? Procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui: & spolijs non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam, & linum: & operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum, & de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. Gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus, & purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ: & lex clementiæ in lingua ejus. Consideravit semitas domûs suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filij ejus, & beatissimam prædicaverunt: vir ejus, & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia,

tia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera ejus.

Graduale. Ps. 44. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Tract. Veni Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Psal. Ibid. ℣. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & Tract. & dicitur.

Alleluja, alleluja. *Ibid.* ℣. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Alleluja. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua, Alleluja.

✠ Sequentia S. Evangelij secundùm Lucam. *c.* 15.

IN illo tempore: Erant appropinquantes ad JEsum publicani, & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Pharisæi, & scribæ dicentes. Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum convocat amicos, & vicinos. Dicens illis: congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat, dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Et cùm invenerit, convocat amicas, & vicinas dicens: congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Offertorium. Ibid. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi.

Secreta.

HAnc oblationem fidelium tuorum, quæsumus misericordissime Pater dignanter suscipe: & per merita, ac intercessionem beatæ Mariæ Ægyptiacæ, ad te nostras etiam rebelles converte propitius voluntates. Per Dominum.

Postcomm. Ibid. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Postcommunio.

OBsecramus misericordiam tuam Domine JEsu Christe, quatenus per virtutem sacramenti tui, quod sumpsimus, & per merita, & intercessionem beatæ Mariæ Ægyptiacæ, cujus festa colimus, dies nostros in pace dirigas; & vitam nostram in vera pœnitentia concludas. Per Dominum.

21. In Festo S. Anselmi Cantuariensis Archi-Episc. & Confess. Missa *In me-*

dio Ecclesiæ &c. omnia ùt in Festo *S. Hilarij Episc.* 14. Januarij.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis B. Anselmum ministrum tribuisti, præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

23. In Festo S. Adalberti Episc. & Mart. Missa *Protexisti me.* de comm. Mart. tempore paschali.

Oratio.

DEus, qui B. Adalbertum Martyrem tuum, atque Pontificem gloriâ, & honore coronare dignatus es; tribue, quæsumus, ut quem salutis æternæ ministrum habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum. *Credo.*

Secreta.

PIæ devotionis munera, quæ in honore B. Adalberti Martyris atque Pontificis tuæ offerim, majestati, æternâ nos felicitate dignos efficiant: ad quam ipse fuso pro te sanguine meruit pervenire. Per Dominum.

Postcommunio.

IN nobis, quæsumus Domine, pretiosi Corporis, & Sanguinis tui Sacramento refectis, ita per intercessionem B. Adalberti Martyris atque Pontificis fidei puritas augeatur, ut in æterna cum Sanctis tuis mereamur gloria numerari.

Celebratur cum octava in Boëmia.

Feria 6. post Octavam Paschæ Festum Lanceæ, & Clavorum Domini.

Introitus.

FOderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea: & sicut aqua diffusus sum. Alleluja, alleluja. *Psal. Ibid.* Factum est cor meū tanquam cera liquescens in medio ventris mei. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui in assumptæ carnis infirmitate clavis affigi, & lanceâ vulnerari, pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut qui eorundem clavorum, & lanceæ solemnia veneramur in terris, de gloriosæ victoriæ tuæ triumpho gratulemur in cœlis. Qui vivis, & regnas.

Lectio Zachariæ Prophetæ. *12. Cap.*

HÆc dicit Dominus: Effundam super Domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem & dicetur: quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Frameâ suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oves: ait Dominus omnipotens.

Alleluja, alleluja. ℣. Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno. Alleluja. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: quæ sola fuisti digna sustinere Regem cœlorum, & Dominum. Alleluja.

✠ Sequentia S. Evangelij secundùm Joannem. *19. Cap.*

IN illo tempore. Rogaverunt Judæi Pilatum (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille

Sabbati) ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad JEsum autem cùm venissent, & viderũt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit: & continuò exivit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit, ut & vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: videbunt, in quem transfixerunt. *Credo.*

Offertorium Psal. Insurrexerunt in me viri iniqui: absque misericordia quæsierunt me interficere: & non pepercerunt in faciem meam spuere: lanceis suis vulneraverunt me, concussa sunt omnia ossa mea. Alleluja.

Secreta.

HÆc oblatio, Domine quæsumus ab omnibus nos purget offensis: quæ in ara Crucis etiam totius mundi tulit offensam. Per Dominum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Unus militum lanceâ latus ejus aperuit: & continuò exivit sanguis, & aqua. Alleluja.

Postcommunio.

ADesto nobis Domine Deus noster: ut quos sanctæ lanceæ, & clavorum lætari facis honore: eorum quoq; perpetuis defende subsidijs. Per Dominum.

28. In Festo Translationis S. Petri de Alcantara Confess. Missa *uti in ejus Festo.* 19. Octob.

Oratio.

DEus, qui animam B. Petri Confessoris tui charismatum donis, & corpus crucis mortificatione decorâsti: concede precibus nostris, ut qui ejus recolimus Translationis memoriam, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum.

MAJUS.

1. *Pro commemoratione* S. Walburgis Virg. *Oratio.* Exaudi nos Deus salutaris noster, &c. *de communi Virg.*

2. In Festo S. Sigismundi Regis, & Mart. Missa *Protexisti me Deus.* ex communi Mart. tempore Paschali.

Oratio.

DEus, qui B. Sigismundum Regem utroque diademate, temporali scilicet, & æterno, cum desiderata palma martyrij honorare dignatus es, & ejus reliquias ex profundo gurgite aquarum ad celebrandum fidelibus revelâsti, tribue, quæsumus, ut qui ejus merita veneramur, ipsius intercessionibus, ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum.

Secreta.

PEr hæc munera Domine, quæ in honorem S. Sigismundi tibi humiliter offerimus, nos ab omnibus peccatis dignanter emunda. Per Dominum.

Postcommunio.

SAcramentorum tuorum Domine munere vegetati, tuam supplices deprecamur clementiam, ut cujus solemnia temporaliter agimus, ejus meritis ad æterna gaudia pervenire mereamur. Per Dominum.

4. In Festo S. Gothardi Epis. & Confess. Missa. *Sacerdotes tui.* ex comm. Con. fess. Pontif.

Oratio.

DEus, qui populo tuo S. Gothardum Doctorem vitæ tribuisti,

concede quæsumus, ut ejus intercessione in tuis laudibus tranquilla prosperitate lætantes ab omnibus liberemur adversis. Per Dominum.

Commem. S. Floriani Mart.

Oratio.

DEus, qui nos B. Floriani Martyris tui gloriosi solemnitate lætificas, concede propitius: ut cujus gloriosum victoriæ triumphum pio amore veneramur in terris, ejus lætitiam adipisci, te largiente, mereamur in cœlis. Per Dominum.

Pro eodem *Secreta*, *&* *Postcommunio* ex commun. Mart. non Pontif. *1. loco.*

Secreta pro S. Gothardo.

HÆc oblatio, quæsumus Domine, intercedente B. Gothardo Episcopo, nos ab omnibus peccatis emundet, & tota virtute tuis faciat inservire mandatis. Per Dominum.

Postcommunio.

SAlutis nostræ Domine, libantes mysteria, præsta, quæsumus, ut B. Gothardi Pontificis tui nos semper oratio defendat, & tua ubique protectio custodiat. Per Dominum

19. In Festo S. Antonini Episc. & Confess. Missa. *Statuit.* de communi Pontif. non Mart.

Oratio.

SAncti Antonini Domine, Confessoris tui atque Pontificis meritis adjuvemur: ut sicut te in illo mirabilem prædicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriemur. Per Dominum.

Dominica quarta post Pasch. Translat. S. Norberti Episc. & Confess. Missa *ut in ejus festo 6. Junij.* qui non habet propriã; ex qua Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui es gloriosus in Sanctis tuis, & eorum nobis intercessione placabilis, da nobis hodie S. Norberti Confessoris tui atque Pontificis Translatione lætantibus, meritis ipsius & precibus, ad regni tui gloriam, triumphata morte feliciter pervenire. Per Dominum.

Fit commemoratio Dominicæ.

Loco Gradualis. Alleluja, alleluja. ℣. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Alleluja. ℣. Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus. Alleluja.

Secreta.

SAncti Norberti Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus Domine annua solemnitas nos reddat acceptos: ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum.

Postcommunio.

DEus fidelium remunerator animarum, præsta, ut B. Norberti Confessoris tui atque Pontificis: cujus venerandam celebramus Translationem, precibus indulgentiam consequamur. Per Dominum.

13. In Festo B. Petri Regalati Confess. Missa. *Os justi.* de communi Confessor. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui dilectum famulum tuum Petrum carne mortificatum ad delicias gloriæ tuæ assumere dignatus es: concede propitius, ut ad delectationes, quæ in dextera tua sunt, usque in finem, meritis ejus & intercessione pervenire valeamus. Per Domin.

19. In Translatione & Festo S. Bernardini Senensis Confessoris; omnia, *uti in Proprio antiqui Missalis* annotantur.

Oratio.

DOmine JEsu, qui B. Bernardino Confessori tuo eximium Sancti Nominis tui amorem tribuisti, ejus quæsumus meritis & intercessione, spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritûs S. &c.

NB. Die Lunæ Rogationum, vel alio die, sequenti 9. lect. non impedito, Translatio S. Didaci Confess. Missa. *ut in ejus Festo.*

Oratio.

DEus, qui per Translationem Corporis B. Didaci Confessoris tui, ejus gloriam in terris renovâsti; concede propitius, ut ejus precibus nos spiritu renovati æterna præmia consequi mereamur in cœlis. Per Dominum.

Secreta.

HÆc hostia, quæsumus Domine, quam B. Didaci Confessoris tui Translatione offerimus, ipso etiam intercedente, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum.

Postcommunio.

DEus, qui familiam tuam his Sacrificijs purgatam B. Didaci Confessoris tui Translatione lætificas: concede quæsumus, ut ejus humilitatis, & patientiæ imitetur vestigia, & ad gaudia perveniat sempiterna. Per Domin.

26. In Festo S. Philippi Nerei Confess. Missa ex Decreto S. R. C. die 11 Februarij, Anno 1690.

Introitus.

CHaritas Dei diffusa est in cordibus nostris, alleluja: per inhabitantem spiritum ejus in nobis, alleluja, alleluja. *Psalm.* Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. ℣. Gloria Patri, &c.

Oratio.

DEus, qui B. Philippum Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloriâ sublimâsti: concede propitius; ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Domin.

Lectio Libri Sapientiæ.

Cap. 7.

OPtavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Evang. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Secreta, *&* *Postcommunio.* ex com. Confess. non Pontif. *2. loco.*

28 In Festo S. Venantij Mart. tempore paschali. Missa. *Protexisti, &c.* Extra tempus pasch. *In virtute tua.* de communi unius Mart. Evang. *Si quis venit ad me.*

Oratio.

DEus, qui hunc diem S. Venantij Martyris tui triumpho consecrâsti, exaudi preces populi tui, & præsta, ut qui ejus merita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per Dominum.

Secreta.

HAnc oblationẽ omnipotens Deus B. Venantij merita tibi reddant acceptam, ut ipsius subsidijs adjuti, gloriæ ejus consortes efficiamur. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumpsimus Domine, æternæ vitæ Sacramenta humiliter deprecantes, ut B. Venantio Martyre tuo pro nobis deprecante, veniam nobis concilient & gratiam. Per Dominum.

29. In Festo S. Petri Cælestini Confessoris ac Papæ. Missa *Statuit.* de communi Confess. Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Petrum Cælestinum ad summi Pontificatûs apicem sublimâsti, quiq; illum humilitati postponere docuisti: concede propitius, ut ejus exemplo cuncta mundi despicere, & ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur. Per Domin.

Evang. *Ecce nos reliquimus omnia.* ex communi Abbatum.

30. In Festo S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. Missa. *Dilexisti justitiam.* ex communi Virg.

Oratio.

DEus virginitatis amator, qui B. Mariam Magdalenam Virginem tuo amore succensam cælestibus donis decorâsti, da, ut quam festivâ celebritate veneramur, puritate & charitate imitemur. Per Dominum.

JUNIUS.

5. In Festo S. Bonifacij Episc. & Socior. Mart. Missa. *Intret in conspectu tuo.* ex comuni plurim. Martyrum.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium, & Martyrum palma, solemnitatem hodiernæ diei propitius respice, & Ecclesiam tuam fac continuâ celebritate lætari, ut intercessione Beatorum Martyrum tuorum Bonifacij & Sociorum ejus omnium in te credentium vota perficias. Per Domin

In Festo S. Viti Mart. Patroni Regni.

Introitus Missæ.

GAudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore B. Viti Martyris, de cujus passione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. *Psal.* Exultate Justi in Domino; rectos decet collaudatio. ℣. Gloria Patri, &c.

Oratio.

DA Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, Sancto Martyre tuo Vito intercedente, superbè non sapere, sed tibi placitâ humilitate proficere: ut prava despiciens, quæcunque recta sunt, liberâ exerceat charitate. Per Domin.

Reliqua ex Missa *In virtute tua.* ex comm. unius Mart. non Pontif. *Credo.*

Secreta.

SIcut gloriam Divinæ potentiæ munera pro Sanctis oblata testantur, sic nobis effectum, Domine, tuæ salvationis impendant. Per Dominum.

Postcommunio.

REpleti, Domine, benedictione solemni, quæsumus, ut per intercessionem S. Martyris tui Viti medicina

Sa-

Sacramenti, & corporibus nostris prosit, & mentibus. Per Dominum.

16. In Festo S. Bennonis Episc. Confess. Missa. *Statuit ei.* ex communi Episc. Confess.

Oratio.

DEus, qui nos B. Bennonis Pontificis confessione gloriosâ circumdas, & protegis: da nobis, & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum.

21. *Pro commemoratione* S. Albani, & Sociorum Mart.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, Sanctorum Martyrum tuorum Albani, & Sociorum ejus glorioso triumpho solidæ fidei nos protegi, & eorum tolerationis imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Domin.

Secreta, & Postcommunio ex communi Mart. *2. loco.*

22. Pro Die octava S. Viti

Oratio.

DEus, qui B. Vitum juvenili adhuc ætate triumphantem coronâsti. Concede propitius, ut cujus veneranda natalitia colimus, ejus apud te patrocinio adjuvemur. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio, ùt in ejus Festo.

23. In Festo SS. decem millium Martyrum crucifixorum. Missa. *Intret in conspectu tuo.* ex communi plurimorum Mart. *1. loco.*

Oratio.

DEus, qui ad incitandum Passionis tuæ exemplum Hermolaum, Achatium, Alexandrum, Marcum, & cum eis decem millia Martyrum crucis supplicium subire fecisti, præsta, quæsumus, ut quorum passionem veneramur in terris, Passionis tuæ remedia consequamur in cœlis. Per Dominum.

JULIUS.

4. In Festo S. Procopij Abbat. & Confessor. Missa. *Os justi.* ex communi Abbatum.

Oratio.

PLenam in nobis æterne Salvator, tuæ virtutis operare medelam, ut qui præclara B. Procopij Confessoris tui merita veneramur, ipsius adjuti suffragijs, à cunctis animarum nostrarum languoribus liberemur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c. *Credo.*

7. *Pro commemorat.* S. Wilibaldi Episc. & Confess.

Oratio.

PRopitiare, quæsumus populo tuo Domine, & quem solemnitati B. Wilibaldi Confessoris tui atque Pontificis tribuis interesse, protectione perpetuâ semper facias esse securum. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio ex communi Pont. & Confess. *primo loco.*

8. In Festo S. Margaritæ Reginæ Scotiæ Viduæ. Missa. *Cognovi.* de communi nec Virg. nec Mart.

Oratio.

DEus, qui B. Margaritam Scotorum Reginam eximiâ in pauperes charitate mirabilem effecisti, da, ut ejus intercessione, & exemplo tua in cordibus nostris charitas jugiter augeatur. Per Dominum.

Commemoratio S. Kiliani & Sociorum Mart.

Oratio.

COncede, quæsumus omnipotens Deus, ut qui Sanctorum tuorum

Kiliani, & Sociorum victorias celebramus, eorum & præmijs participemur. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio. ex communi plur. Mart. 2. *loco.*

9. In Festo SS. Martyrum Gorcomiensium. Missa. *Intret in conspectu tuo.* ex communi plurimorum Mart.

Oratio.

DEus, qui beatorũ Martyrum tuorũ Nicolai, & Sociorum ej, gloriosum pro fide tua certamen æternitatis laureâ decorâsti: concede propitius, ut eorum meritis, & imitatione certantes in terris, cum ipsis coronari mereamur in cœlis. Per Dominum. *Sine Credo.*

12. In Festo S. Joannis Gualberti Abbatis. Missa. *Os justi.* ex communi Abbatum. Evang. ex feria 6. post cineres. *Audistis, quia dictum est antiquis.* usque ad illa verba: *Attendite, nè justitiam vestram.*

15. In Festo Divisionis Apostolorum.

Introitus.

MIhi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Psalm.* Domine probâsti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meã, & resurrectionem meã. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam distributam per orbem terrarum, Sanctorum Apostolorum tuorum prædicatione fundâsti: concede propitius: ut quorum hodie sub una celebritate recolimus insignia, eorum in cunctis necessitatibus nostris experiamur suffragia. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos. *c. 10.*

FRatres: corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est. Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Graduale. Ps. 44. Constitues eos Principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine. ℣. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: propterea populi confitebuntur tibi. Alleluja, alleluja. *Psalm.* Nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eornm. Alleluja.

✠ Sequentia S. Evangelij secundùm Marcum. *c. 16.*

IN illo tempore: dixit JEsus discipulis suis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dœmonia ejicient: linguis loquen-

tur

tur novis: serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem JEsus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. *Credo.*

Offert. Psalm. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Secreta.

MUneribus nostris, quæsum, Domine, suffragantibus Sanctis Apostolis tuis, gratiam tuæ benedictionis infunde: ut eisdem participantes, & à peccatis omnibus expiemur, & cœlestia gaudia consequi mereamur. Per Dominum.

Præfatio Apost. Communio. Matt. c. 19. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim trib. Israël.

Postcommunio.

PErcepto vitalis Sacramenti sacrificio, quæsumus omnipotens Deus: ut omnium Apostolorum tuorum patrocinia sentiamus, per quos universo mundo hodiernâ divisione, tuæ Majestatis innotuerunt præconia. Per Dom.

16. Commemoratio Solemnis B. V. M. de Monte Carmelo.

Missa juxta Decretum SS. D. N. Clementis Papæ X. ab omnibus Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, Regnorum ac Provinciarum Hæreditariuum Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI I. celebranda die XVI. Julij.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem Festum celebrantes sub honore Beatæ Mariæ Virginis: de cujus solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. *Psalm.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui Beatissimæ semper Virginis & Genitricis tuæ Mariæ singulari titulo Carmeli Ordinem decorâsti: concede propitius; ut cujus hodie Commemorationem solemni celebramus officio, ejus muniti præsidijs, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Lectio Libri Sapientiæ.

EGo quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum: Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient: Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Graduale. Benedicta, & Venerabilis es Virgo MARIA: quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

℣. Virgo DEI Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo. Alleluja, alleluja.

℣. Felix es sacra Virgo MARIA, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol justitiæ. Alleluja.

✠ Sequentia S. Evangelij secundùm Joannem. 19. Cap.

In illo tempore: Stabant juxta crucem JEsu Mater ejus, & soror Matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo JEsus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua. *Credo.*

Offertorium. Adducentur Regi Virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi in lætitia, & exultatione, Alleluja.

Secreta.

Sanctifica, Domine, quæsumus, oblata sacrificia, & Beatæ Dei Genitricis Mariæ gloriosâ intercessione nobis salutaria fore concede. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus.

Præfatio de Beata MARIA.

Et te in Commemoratione Beatæ Mariæ.

Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, Alleluja.

Postcommunio.

Adjuvet nos, quæsumus Domine, gloriosæ tuæ Genitricis semper Virginis Mariæ intercessio veneranda: ut quos perpetuis cumulavit beneficijs, à cunctis periculis absolutos, tuâ faciat pietate concordes. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

17. In Festo S. Henrici Imperat. & Confess. Missa. *Os justi.* ex communi Confess. non Pontificis.

Oratio.

Deus, qui hodiernâ die B. Henricum Confessorem tuum è terreni culmine Imperij ad regnum æternum transtulisti, te supplices exoramus, ut sicut illum gratiæ tuæ ubertate præventum, illecebras sæculi superare fecisti, ita nos facias ejus imitatione, mundi hujus blandimenta vitare, & ad te puris mentibus pervenire. Per Domin.

20. In Festo S. Margaritæ Virg. & Mart. Missa *Me expectaverunt.* de comm. Virg. & Mart.

Oratio.

Deus, qui B. Margaritam Virginem hodiernâ die ad cœlos per Martyrij palmam pervenire fecisti. Concede nobis, quæsumus, ut ejus exempla sequentes, ad te pervenire mereamur. Per Dominum.

24. In Festo B. Francisci Solani Confess. Missa & Oratio ex communi Confess. non Pontif. *Justus ut palma.*

29. In Festo S. Marthæ Virg. Missa *uti in Romano annotatur.*

Oratio.

Omnipotens clementissime Deus, cujus Filius in æde B. Marthæ hospitari dignatus est, da, quæsumus, ut ejus meritis, quæ illum placidè suscepit, nos in æde polorum misericorditer hospitari valeamus. Per eundem Dominum, &c.

NB. Novum Festum de S. Cunegunda Virg. Regina Poloniæ F.O. Missa. *Dilexisti.* de communi Virg. cadit 24. hujus, debet differri ad diem non impeditam, fuit à S.R.C. decretum 1690. 17. Decemb.

31. In Festo S. Ignatij Confess. Societatis JEsu Fundatoris. Missa nova.

Introitus.

In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia

Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. *Psalm.* Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo. ℣. Gloria Patri, &c.

Oratio.

DEus, qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborâsti; concede, ut ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Qui vivis & regnas, &c.

Lectio Epist. B. Pauli Apostoli ad Timotheum. *Charissime, memor esto Dominum Jesum.* ex Missa *Lætabitur.* de communi Mart. non Pontif.

Graduale. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ℣. Ad annunciandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Alleluja, alleluja. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Alleluja.

Evang. *Designavit Dñus & alios,* &c. uti in Festo S. Lucæ 18. Octob.

Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

ADsint, Domine Deus, oblationibus nostris S. Ignatij benigna suffragia, in quibus omnis sanctitatis fontem constituisti, nos quoque in veritate sanctificent. Per Dominum.

Communio. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur.

Postcommunio.

LAudis hostia Domine, quam pro Sancto Ignatio gratias agentes obtulimus, ad perpetuam nos majestatis tuæ laudationem ej, intercessione perducat. Per Dominum.

AUGUSTUS.

5. *Pro commemoratione* S. Oswaldi Mart.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei jucundam, sanctámque lætitiam, in Sancti Servi tui Oswaldi solemnitate consecrâsti, da cordibus nostris tuæ charitatis augmentum, ut cujus in terris sancti sanguinis effusionem celebramus, illius in cœlo collata præsidia sinceris mentibus sentiamus. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio. ex communi unius Mart. *primo loco.*

7. In Festo S. Cajetani Confess. Missa. *Os justi.* de comm. Confess. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui Beato Cajetano Confessori tuo Apostolicam vivendi formam imitari tribuisti, da quæsumus nobis ejus intercessione, & exemplo in te semper confidere & sola cœlestia desiderare. Per Dominum.

Evang. *Nemo potest duobus Dominis* &c. ex Dom. 14. post Pentecost. *pro commemorat.* S. Affræ Mart.

Oratio.

INtercessio nos quæsumus Domine B. Affræ Martyris tuæ tibi commendet, quæ tibi placere meruit, tuámque gloriam in cœlestibus adeptura, per aquæ mersionem, & ignis concremationem coronam vitæ est consecuta. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio, ex communi Mart. non Virg.

9. In Festo S. Donati Episc. & Mart. Missa propria ex Romano antiquo Missali

ſali 7. hujus, ubi non ampliùs habetur. *Nota.* Miſſa. *Sacerdotes Dei.* ex communi unius Mart. Pontif. Epiſt. B. Jacobi Apoſt. *Chariſſimi, omne gaudium* &c. Evang. *Dixit JEſus Diſcipulis ſuis: Videte, vigilate* &c. ex communi Confeſſ. Pontif. poſt ſecundam Miſſam.

Orat. Secret. & Poſtcommun. invenies 7. hujus, in Feſto S. Cajetani, ubi fit ejus *Commemoratio.*

19. *Pro Commemoratione* S. Magni Mart.

Oratio.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & intercedente B. Magno Martyre tuo, ab hoſtium nos defende propitiatus incurſu. Per Dominum.

Secreta, & Poſtcommunio ex commun. unius Mart. non Pontif. *2. loco.*

23. In Feſto S. Philippi Benitij Confeſſ. *Miſſa, & Oratio, &c.* ex communi Confeſſ. non Pontif. *2. loco.*

25. In Translatione SS. Viti, Adalberti, Gaudentij, & quinque Fratrum Mart. Miſſa. *Intret inconſpectu tuo Domine.* ex communi plurim. Mart.

Oratio.

DEus, qui ſanctam nobis huj, diei ſolemnitatem pro commemoratione Beatorum Viti, & Adalberti Martyrum tuorum feciſti: quique nos concedis SS. Martyrum tuorum Gaudentij, Benedicti, Matthæi, Joannis, Iſaac atque Chriſtini allationem colere: da, quæſumus, familiæ tuæ precibus, eorum nos, quorum hodie Translationem celebramus, meritis, & interceſſionibus adjuvari, & in æterna beatitudine de eorum ſocietate gaudere. Per Dom.

Secreta, & Poſtcommunio ex eadem Miſſa.

27. *Pro Commemoratione* S. Ruffi Mart.

Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, ut B. Ruffi Martyris tui interceſſionibus confidentes, nec minis adverſantium, nec ullo turbemur incurſu. Per Dominum.

Secreta, & Poſtcommunio. de uno Mart. *1. loco.*

NB. Dominicâ proximâ poſt Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli, Feſtum OO. Sanctorum, quorum Reliquiæ Pragæ in Metropolitana Eccleſia ad S. Vitum aſſervantur. Miſſa propr. in novo Diœceſano. Qui non habet, ſumat ex Feſto OO. SS. Introit. *Gaudeamus.* addendo (*Quorum Reliquiæ hìc ſunt.*)

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui nos Omnium Sanctorum tuorum merita, quorum Reliquiæ hìc ſunt, ſub una tribuiſti celebritate venerari, quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſionibus largiaris. Per Dominum.

Epiſtola. *In diebus illis, poſt hæc ego Joannes*, &c. ex communi plurim. Mart. tempore paſchali.

Evang. *Videns JEſus turbas, aſcendit in montem*, &c. ex communi plurim. Mart. circa finem.

Secreta.

MUnera tibi Domine noſtræ Devotionis offerimus, quæ & pro cunctorum, quorum Reliquiæ hìc ſunt, tibi grata ſint honore juſtorum, & nobis ſalutaria, te miſerante, reddantur. Per Domin.

Poſtcommunio.

DA, quæſumus Domine, fidelibus populis OO. Sanctorum (quo-

rum Reliquiæ Pragæ sunt) semper veneratione lætari, & eorum perpetuâ supplicatione muniri. Per Dominum.

30. In Festo S. Rosæ Virg. Limanæ. Missa. *Dilexisti.* ex communi Virg.

Oratio.

BOnorum omnium largitor omnipotens Deus, qui B. Rosam cœlestis gratiæ rore præventam, virginitatis & patientiæ decore Indis florescere voluisti: da nobis famulis tuis, ut in odorem suavitatis ejus currentes, Christi bonus odor effici mereamur. Per Dom.

31. In Festo S. Raymundi Nonnati Conf. Missa. *Os justi.* ex comm. Confess. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui in liberandis fidelibus tuis ab impiorum captivitate B. Raymundum Nonnatum Confessorem tuum mirabilem effecisti: ejus nobis intercessione concede, ut à peccatorum vinculis absoluti, quæ tibi sunt placita, liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

SEPTEMBER.

1. In Festo S. Ægidij Abbatis. Missa. *Os justi.* & reliqua omnia ex communi Abbatum.

2. In Festo S. Stephani Regis Hungariæ Confess. Missa. *Os justi.* ex communi Confess. non Pont.

Oratio.

COncede, quæsumus, Ecclesiæ tuæ omnipotens Deus, ut B. Stephanum Confessorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in cœlis. Per Dominum.

Evang. *Homo quidam nobilis.* ex eodem communi in fine.

Secreta.

REspice quas offerim, hostias omnipotens Deus; & præsta, ut qui Passionis Dominicæ mysteria celebramus, imitemur, quod agimus. Per Dominum.

Postcommunio.

PRæsta quæsum, omnipotens Deus: ut B. Stephani Confessoris tui fidem congruâ devotione sectemur; qui ejusdem fidei dilatatione, de terreno regno ad cœlestis regni gloriam meruit pervenire. Per Dominum.

4. In Translatione S. Rosæ Virg. Missa, *uti in ejus festo 8. Martij annotatum.*

5. In Festo S. Victorini Episc. & Mart. Missa. *Statuit ei Dominus.* ex communi unius Mart. & Pontif.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hodiernâ die B. Victorinum Martyrem tuum atque Pontificem Beatitudinis æternæ gloriâ sublimâsti: concede propitius, ut cujus gloriam veneramur in terris, intercessionis ejus auxilio apud tuam misericordiam muniamur in cœlis. Per Dominum.

9. *Pro Commemoratione* S. Kunegundis Virg.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui à gloria tua nullum excipis sexum, nullámque conditionem excludis: te suppliciter exoramus, ut sicut B. Kunegundi Virgini tuæ post terreni culmen Imperij cœlestis regni solium contulisti; ità meritis ejus, & precibus, nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum.

Secreta, *&* *Postcommunio* ex communi Virg. 1. *loco*.

NB. Dominica infra Nativitatem B. V. M. Festum de SS. Nomine B. Mariæ Virginis.

Introitus.

VUltum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus adducentur tibi in lætitia, & exultatione. *Psalm.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.
℣. Gloria Patri.

Oratio.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub sanctissimæ Virginis Mariæ Nomine, & protectione lætantur: ejus piâ intercessione, à cunctis malis liberentur in terris, & ad gaudia æterna pervenire mereantur in cœlis. Per Dominum. *Deinde fit com. Dominicæ.*

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. c. 24.

EGo, quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Graduale. Benedicta, & venerabilis es Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.
℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo. Alleluja, alleluja.
℣. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. Alleluja.

✠ Sequentia S. Evangelij secundùm Lucam. *c. 1.*

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audîsset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Nè timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ej9 JEsum. Hic erit magn9 & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ej9, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Credo.*

Offertorium. Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedict. fructus ventris tui.

Secreta.

TUâ, Domine, propitiatione, & Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, ad perpetuam, atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem, & pacem. Per Dominum nostrum, &c. *Comm. Dominicæ.*

Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

Postcommunio.

SUmptis, Domine, salutis nostræ subsidijs: da, quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinijs nos ubique protegi: in cujus veneratione hæc tuæ obtulimus Majestati. Per Dominum nostrum, &c. *Comm. Dominicæ.*

14. *Pro Commemoratione* S. Materni Episc. & Confess.

Oratio.

DEus, qui B. Maternum Confessorem tuum atque Pontificem per merita B. Petri Apostoli tui, quadragesimo die à morte resuscitâsti, & eundem exinde per annos quadraginta Pontificali Infulâ decorâsti: tribue, quæsum., ut quem tot miraculis in terra coruscare vidimus, ejus apud te precibus adjuvemur, & ab omni malo corporis, & animæ liberemur. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio ex communi Confess. Pontif. *2. loco.*

16. In Festo S. Ludmillæ Vid. Mart. Missa. *Me expectaverunt.* ex communi Mart. non Virg.

Oratio.

ADjuvent nos, quæsumus preces & merita S. Ludmillæ Martyris tuæ, Domine Deus noster, ut ejus vestigijs inhærentes, in fide inveniamur stabiles, & in sanctis operibus efficaces. Per Dominum. *Pragæ Credo.* *Secret.*

MUnera, quæsumus Domine, oblata sanctifica, & cordib. nostris eam dilectionem validiùs infunde, quâ B. Ludmilla mortis tormenta superavit. Per Dominum.

Postcommunio.

SUmpto salutari Sacramento, quæsumus Domine, ut sicut iste Panis cœlestis B. Ludmillæ non defuit ad gratiam, ità nobis semper proficiat ad medelam. Per Dominum.

18. In Festo S. Thomæ de Villa nova Episc. & Confess. Missa. *Statuit.* ex communi Confess. Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Thomam Pontificem insignis in pauperes misericordiæ virtute decorâsti: quæsumus, ut ejus intercessione in omnes, qui te deprecantur, divitias misericordiæ tuæ benignus infundas. Per Dominum.

22. *Pro Commemoratione* S. Emmerani Episc. & Mart.

Oratio.

DEus, qui nos annuâ B. Emmerani Martyris tui atque Pontificis festivitate lætificas: da nobis ejus meritis intervenientibus, perpetuâ protectione muniri, & salutari gaudere profectu. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio. ex communi unius Mart. Pontif. *2. loco.*

24. In Festo S. Lamberti Episc. & Mart. Missa. *Statuit ei Dominus.* ex communi unius Mart. Pontif.

Oratio.

INtercessio, quæsumus Domine, B. Lamberti Martyris tui atque Ponti-

ficis, tuam nobis non desinat placere justitiam, & nostrum tibi devotum efficere famulatum. Per Dominum. Evang. *Vos estis sal terræ*. ex communi Doctorũ. *Secreta*, *&* *Postcommunio*, ex eodem communi. unius Mart.

27. De Translatione S. Sigismundi Martyris.

Oratio.

DEus, qui nos concedis Sancti tui Sigismundi allationem colere, da nobis in æterna lætitia de ejus societate gaudere. Per Dominum.

Secreta, *&* *Postcommunio*. ex communi unius Mart. non Pontif. *2. loco*.

28. In Festo S. Wenceslai Mart. Ducis Boëmiæ. Missa. *In virtute*. ex communi unius Mart. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Wenceslai nobilitatem in meliorem mutâsti dignitatem, & eum per Martyrij palmam ad cœlestem perduxisti gloriam, ejus precibus nos ab omni adversitate custodi, & ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum, &c.

Evang. *Si quis vult venire post me*. ex comm. unius Mart. Pontif. *2. loco*. *Credo*.

Secreta.

OBlationem hanc, omnipotens Deus Altari tuo superpositam B. Wenceslai Martyris intercessio tibi reddat acceptam, & nobis jugiter faciat esse salutarem. Per Dominum.

Postcommunio.

QUæsumus omnipotens Deus, ut cœlestia Sacramenta, quæ sumpsimus, intercedente B. Wenceslao Martyre tuo, à peccatis absolutos, ad suum faciant puriores venire principium. Per Dominum.

OCTOBER.

10. In Festo SS. Gereonis & Soc. Mart. Missa. *Intret in conspectu tuo*. ex communi plur. Mart.

Oratio.

DEus, qui hunc diem Beatorũ Martyrum tuorũ Gereonis, Cassij atq; Florentij, Sociorúmque eorum passione consecrâsti: præsta, quæsumus, ut eorum suffragia apud te sentiamus in cœlis, quorum hîc pro amore solemnia veneramur in terris. Per Dominum.

12. In Festo S. Elzearij Confess. Missa. *Os justi*. ex communi Confess. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Elzearium Confessorem tuum inter cætera virtutum insignia virginali pudicitiâ in conjugio decorâsti: concede propitius, ut cujus sacra solemnia celebriter veneramur in terris, ejus beata consortia feliciter consequamur in cœlis. Per Dominum.

Evang. *Nolite timere pusillus grex*.

Secreta.

DEus, qui per immarcescibilem virginitatis palmam in tuorum cordibus inhabitare dignaris: præsta, quæsumus, ut intercedente B. Elzeario Confessore tuo sic mundo corde, & casto corpore vivamus, ut dignum Filij tui habitaculum effici mereamur. Per eundem Dominum.

Postcommunio.

SUmptis, Domine, placare muneribus B. Elzearij Confessoris tui interveniente suffragio, qui consecratus matrimonij vinculo, virginitatis decus tibi obtulit, & in tuis beneplacitis felici victoriâ terminavit. Per Dominum.

16. In

16 In Festo S. Galli Abbatis. Missa. *Os justi.* ex communi Abbatum.

Oratio.

DA nobis æternæ consolationis Pater, per preces B. Galli Abbatis Confessoris tui pacem,& salutem mentis & corporis, ut ejus totâ dilectione inhæreamus præceptis, & quæ tibi placita sunt,totâ vitâ perficiamus. Per Dominum.

17. In Festo S. Eduardi Regis Confess. Missa. *Os justi.* ex communi Confess. non Pontif.

Oratio.

DEus,qui B. Eduardum Confessorem tuum æternitatis gloriâ coronâsti, fac nos quæsumus ita eum venerari in terris, ut cum eo regnare possimus in cœlis. Per Dominum.

20. In Festo S.Hedwigis Vid. Missa. *Cognovi Domine.*ex commun.nec Virg. nec Mart.

Oratio.

DEus gratiæ dator & gloriæ, tuæ nobis propitius aperi sinum pietatis, & præsta, ut qui manentem hìc non habemus civitatem, ad futuram, quam quærimus, B. Hedwigis interveniente suffragio perducamur. Per Dominum.

21. In Festo S. Ursulæ & Sociarum Virg. Mart. Missa.*Loquebar.*ex communi Virg.Mart. Epist.*De Virginibus præceptum*, &c. ex communi Virg. *2. loco.* Evang. *Simile est regnum cœlorum decem Virg.Oratio,Secreta,& Postcomunio.* ex Romano.

22. In Festo S. Severi Episc. & Confess. Missa. *Sacerdotes tui.* ex comm. Confess. Pontif.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus,qui es in meritis S. Severi Episcopi mirabilis, quæsumus immensam clementiam tuam, ut sicut ei eminentem gloriam contulisti, sic ad consequendam misericordiam tuam ejus nos tribue precibus adjuvari. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio, ex eodem communi. *2. loco.*

23. In Festo S. Joannis Capistrani Confess. Missa. *Justus ut palma.* ex communi Confess. non Pontif. *2. loco.*

Oratio. Deus, qui nos S. Joannis. *ex communi.*

24. In Festo S. Severini Episc. Confess. Missa.*Statuit ei Dominus.* ex communi Confess. Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Severini Confessoris tui atque Pontificis diem natalitium celebrandum concedis: ejus quæsumus, continuâ intercessione super nos misericordiam tuam multiplica, ut cujus patrocinijs gratulamur, ejus suffragijs præsentis vitæ subsidium, & æternæ salutis præmia consequamur.Per Dominum.

25. In Festo SS. Crispini, & Crispiniani Mart. Missa. *Sapientia Sanctorum.* ex communi plurimorum Mart. *2.loco.*

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus,qui in Sanctorum Martyrum tuorum Crispini, & Crispiniani cordibus flammam tuæ dilectionis ardere fecisti, da mentibus nostris eandem fidei, charitatisq; virtutem: ut quorum gaudemus triumphis, proficiamus exemplis. Per Dominum.

Evang. ex communi *primo loco.*

27. In Festo S. Ivonis Confess. Missa. *Justus ut palma.* ex communi Confess. non Pontif. *Oratio.* Adesto Domine. Evang. *Sint lumbi vestri* &c. ex eodem communi 1. *loco.* *Secreta & Postcommunio 2. loco.*

29. In Festo S. Francisci Borgiæ Confess. Missa. *Os justi.* ex communi Confess. non Pontif.

Oratio.

DOmine JEsu Christe, veræ humilitatis & exemplar & præmium: quæsumus, ut sicut B. Franciscum in terreni honoris contemptu, imitatorem tui gloriosum effecisti, ita nos ejusdem imitationis, & gloriæ tribuas esse consortes. Qui vivis, & regnas, &c.

Evang. *Ecce nos reliquimus omnia.* ex communi Abbatum.

Secreta & Postcommun. ex communi Confess. non Pontif.

31. In Festo S. Wolffgangi Episc. Confess. Missa. *Sacerdotes tui.* ex communi Confess. Pontif.

Oratio.

DEus, qui nobis æternæ salutis B. Wolffgangum ministrum tribuisti: præsta quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

NOVEMBER.

6. In Festo S. Leonardi Abbatis. Missa. *Os justi.* ex communi Abbatum.

Oratio.

FAc nos, quæsumus Domine Deus noster B. Leonardi Abbatis intercessionibus, à cunctis mundi perturbationibus respirare, ejúsq; obtentu tam præsentis vitæ subsidia, quàm æternæ beatitudinis præmia reperire. Per Dominum.

7. *Pro Commemoratione* S. Wilibrordi Episc. & Confess.

Oratio.

DEus, qui in diversis nationum populis præclaros veræ fidei constituisti Doctores, de quorum collegio B. Wilibrordum Confessorem tuum atq; Pontificem nobis cœlitus dedisti: concede propitius, ut ejus suffragantibus meritis præsentis vitæ sancta gaudia, & futuræ beatitudinis gloriam consequamur. Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio ex eodem communi 2. *loco.*

12. In Festo quinque Fratrum Mart. Benedicti, Matthæi, Joannis, Isaac, & Christini. Missa. *Salus autem justorum.* ex communi plur. Mart. 3. *loco.*

Oratio.

SAnctorum nos, quæsumus Domine Martyrum tuorum Benedicti, Matthæi, Joannis, Isaac atque Christini gloriosa hodiernâ die trophæa lætificent, quatenus eorum interventione ad illam perveniamus hæreditatem, in qua ijdem felices Angelorum cætibus aggregati, tuæ semper majestatis perfruuntur ineffabili claritate. Per Dom.

Epistola B. Pauli ad Corinth. *Fratres exhibeamus nosmetipsos*, &c. ex eodem communi post præfatam Missam.

Evang. *Attendite à fermento Pharisæorum. Credo.*

Secreta.

MUunera Domine oblata sanctifica, & intercedentibus Sanctis Martyribus tuis per eadem nos placatus intende. Per Dom. *Postcommunio.*

SAnctificet nos, quæsumus Domine, tui perceptio Sacramenti, & inter-

cessio-

cessione SS. Martyrum tuorum Benedicti, Matthæi, Isaac, Joannis atque Christini tibi reddat acceptos. Per Dominum.

14. In Festo S. Brictij Confess. & Pontif. Missa. *Sacerdotes tui.* ex communi Confess. Pontif.

Oratio.

DEus, qui nos annuâ B. Brictij Confessoris tui atque Pontificis solemnia venerari concedis, præsta quæsumus, ut & devotis ea precibus celebremus, & ejus patrocinio promerente, veniam nostrarum culparum adipisci mereamur. Per Dominum.

15. In Festo S. Leopoldi Confess. Missa. *Justus ut palma.* ex communi Confess. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Leopoldum à sæculi curis ad cœlestem gloriam transvexisti: concede quæsumus, ita nos per hæc temporalia pertransire, ut æternæ vitæ consortia mereamur. Per Domin.

Epist. *Quæ mihi fuerunt lucra.* cum sequenti Evang. *Homo quidam nobilis*, &c.

16. In Festo Ottmari Abbatis. Missa. *Os justi.* ex comm. Abbatum.

Oratio.

SAncti Ottmari Abbatis Domine, tribue nos foveri supplicationibus, ut cujus venerabilem solemnitatem celebramus obsequijs, ejus intercessionibus commendemur & meritis Per Dominum.

17. In Festo B. Salomeæ Virg. Missa. *Dilexisti.* cum reliquis de commun. Virg.

24. In Festo S. Chrysogoni Mart. Missa. *cum reliquis, ut hodie est in Romano Missali.*

26. In Festo Omnium Sanctorum Ordinis Minorum. Missa propria. Ubi non habetur nota. Missa uti in Festo Omnium Sanctorum, adde in introitu: *Omnium Sanctorum Ord. Minor.*

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam varijs Sanctorum splendoribus semper illustras, protegis atque conservas: concede propitius, ut B. Francisci, & Sanctorum Filiorum, quorum omnium merita sub una tribuisti celebritate venerari, precibus & hic ab omnib, mundemur offensis, & in futuro gloriâ perfruamur æternâ. Per Dominum.

Epist. Lectio ex Apocalypsi. *In diebus illis: Ecce ego Joannes.* uti in Festo Omnium Sanctorum.

Evang. *Nolite timere pusillus grex.* de communi Confess. non Pontif. *2. loco.* *Credo.*

Secreta, & *Postcommunio.* ex eadem Missa. adde in Postcomm. *Omnium Sanctorum Ord. Minorum.*

DECEMBER.

1. In Festo Translationis S. Ludmillæ Vid. Mart. omnia *ut supra* in ejus festo 16. Septembr.

Oratio.

COncede, quæsumus, plebi tuæ omnipotens Deus, ut quæ B. Ludmillæ Martyris tuæ Translatione lætatur in terris, ejusdem æternâ societate perfruatur in cœlis. Per Dominum.

3. In Festo S. Francisci Xaverij Confess. Missa propria, ubi non habetur, nota. *Introitus.*

LOquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar: & meditabar in mandatis tu-

is, quæ dilexi nimis. *Psalm.* Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui Indiarum gentes B. Francisci prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti, concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Epistola. *Corde creditur ad justitiam.* ex festo S. Andreæ Apostoli.

Evang. *Euntes in mundum universum.* ex festo SS. Cyriaci, &c. 8. Augusti. Reliqua ex Missa *Os justi.* de comm. Confess. non Pontif.

4. In Festo S. Barbaræ Virg. & Mart. Missa. *Loquebar de testimonijs.* ex comm. Virg. Mart.

Oratio.

POrrige misericors Deus clementiam tuam nobis devotè supplicantibus, ut qui B. Barbaræ Virginis & Martyris tuæ commemoratione gratulamur, virtute illius ad promerendam delictorum veniam gubernemur. Per Dominum.

5. In Festo S. Sabbæ Abbatis. Missa. *& reliqua omnia* ex communi Abbatum.

13. *Pro commemoratione* S. Ottiliæ Virg.

Oratio.

DEus illuminator omnium gentium, qui mira opera in virtute S. Ottiliæ demonstrâsti, tribue, quæsumus, ut sicut ab illa nativæ cæcitatis tenebras expulisti, ita nobis corporalis luminis, & æternæ claritatis gratiam, & gloriam largiaris. Per Dominum.

Secreta, & Postcom. ex eod. com. Virg.

NB. *Omnia Festa Diœcesis Olomucensis invenientur etiam in Pragensi, exceptis duobus.*

7. Augusti est Festum S. Oswaldi dupl. Missa. *In virtute tua.* cum reliquis ex communi unius Mart. Evang. *Si quis vult venire post me.* Oratio *ut supra* 7. Augusti.

22. Octobris S. Cordulæ Virg. & Mart. Missa. *Me expectaverunt.* ex comm. unius Virg. Mart.

Evang. *Accesserunt ad JEsum.* ut in festo S. Agathæ 5. Februarij.

NB. *Cùm passim in Directorijs Officij Divini inveniantur Festa nova* S. Joannis de Mattha, & S. Felicis Valesij Confess. non Pontif. *etiam hîc apponi fuit consultum.*

8. Februarij S. Joannis de Mattha Confess. non Pontif. Missa. *Os justi.*

Oratio.

DEus, qui per Sanctum Joannem de Mattha Ordinem Sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos cœlitus instituere dignatus es, præsta quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, à captivitate corporis, & animæ te adjuvante liberemur. Per Dominum.

22. Novembris. In Festo S. Felicis Valesij Confess. Missa. *Os justi.* de communi Confess. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Felicem Confessorem tuum ex eremo ad munus redimendi captivos cœlitus vocare dignatus es: præsta quæsumus, ut per gratiam tuam ex peccatorum nostrorum captivitate, ejus intercessione liberati, ad cælestem patriam perducamur. Per Dom.

FE-

FESTA PROPRIA DIOECESIS WRATISLAVIENSIS.

JANUARIUS.

22. In Festo S. Vincentij Mart. Missa. *Lætabitur.* de communi unius Mart. Evang. *ut in festo S. Ignatij. Mart. 1. Feb.*

Oratio. ADesto quæsumus Domine supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, B. Vincentij Martyris tui intercessione liberemur. Per Domin.

23. In Festo S. Anastasij Mart Missa *In virtute tua.* ex communi unius Mart.

Oratio. DEus, qui nos B. Anastasij Martyris tui annuâ solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus natalitia colim, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Evang. *Si quis venit ad me.* ex eodem communi. *Secreta, & Postcommunio.* ex hujus Evangelij Missa, omisso *atq; Pont.*

FEBRUARIUS.

1. *Pro Commemoratione* S. Brigidæ Virg. *Oratio.* Exaudi nos Deus, *uti in Rom.*

3. In Festo S. Blasij Episc. & Mart. Missa. *Sacerdotes Dei.* cum reliquis *uti in Rom.*

8. *Pro Commemoratione* S. Helenæ Viduæ. *Oratio.* Exaudi nos Deus. ex communi.

10. *Pro Commemorat.* S. Scholasticæ Virg. *Oratio.* Exaudi nos, &c.

12. *Pro Commemorat.* S. Eulaliæ Virg. Mart. *Oratio.* Indulgentiā nobis, &c.

14. In Festo S. Valentini Presbyteri Mart. Omnia *uti in Romano.*

MARTIUS.

3. *Pro Commemorat.* S. Cunegundis Virg. omnia *uti supra 9. Septemb.*

5. In Translatione S. Wenceslai Mart. omnia *uti in ejus Festo 28. Septembris.*

Oratio. COncede quæsumus, plebi tuæ, omnipotens Deus, ut quæ B. Wenceslai Martyris tui Translatione lætatur in terris, ejusdem æternâ societate perfruatur in cœlis. Per Domin.

17. In Festo S. Gertrudis Virg. Missa. *Dilexisti justitiam.* ex communi Virg. non Mart.

Oratio. INdulgentiam nobis, quæsumus B. Gertrudis Virgo imploret, quæ tibi grata semper extitit, & merito castitatis, & tuæ professione virtutis Per Dominum.

Secreta, & Postcommunio. ex eadem Missa. *Me expectaverunt.* omisso nomine *Mart.*

APRILIS.

2. *Pro Commemor.* S. Mariæ Ægyptiacæ.

Oratio. DEus, qui nos in solemnitate B. Mariæ peccatricis adunare voluisti; concede propitius, ut ejus glorioso interventu, post vitæ fragilis terminum tibi in æternitate tua mereamur associari. Per Dominum.

23. In Festo S. Adalberti Episc. & Mart. Missa. *Protexisti temp. Pasch.*

Oratio. TUam nobis indulgentiam, quæsumus Domine Beatus Adalbertus Episcopus & Martyr imploret, ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum.

Evang. *Ego sum Pastor bonus.* ex Domin. 2. post Pascha.

24. In Festo S. Georgij Mart. *omnia ut in Romano.*

MAJUS.

1. *Pro commemorat.* S. Walburgis Virg. *Oratio.* Exaudi nos. *de commun. Virg.*

5. In Festo S. Gothardi Episc. Confess. Missa. *Sacerdotes tui.* ex comm. Confess. Pontif.

Oratio. DEus, qui meritis S. Gothardi Confessoris tui atque Pontificis semper es, & ubiq; mirabilis, quæsumus clementiam tuam, ut sicut ei eminentem gloriam contulisti, sic ad consequendam gratiam tuam, ejus nos facias precibus adjuvari. Per Domin.

7. In Festo S. Stanislai Episc. & Mart. *omnia ut in Romano, sed* Evang. *Ego sum Pastor bonus.* ex Dominica 2. post Pascha.

10. In Festo S. Floriani Mart. Missa. *Protexisti.* cum reliqu. ex comm. Mart.

Oratio. DEus, qui nos B. Floriani Martyris tui solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus gloriosum triumphum veneramur in terris, societatis ejus lætitiam adipisci mereamur in cœlis. Per Dominum.

13, *Pro Commem.* S. Servatij Epis. Conf.

Oratio. DEus, qui populo tuo S. dedisti Servatium Prædicatorem: concede quæsumus, ut nos tanti Pontificis intercessione, & tuæ pietatis defensione, ab omnibus ubique liberemur adversis, & tranquillâ prosperitate in tua jugiter laude lætemur. Per Domin.

31. In Festo Sanctorum Cancij, Canciani, & Cancianillæ Mart. Missa extra temp. Paschale. *Sapientia Sanctorum.* ex communi plur. Mart.

Oratio. DEus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hanc diem Beatorum Cancij, Canciani, & Cancianillæ Martyrio consecrâsti: da Ecclesiæ tuæ natalitio tantæ festivitatis gratulari, ut apud misericordiam tuam, & exemplis eorum, & meritis adjuvetur. Per Dominum.

Evang. *Amen Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos,* &c. ex communi Mart. *tempore pasch.*

JUNIUS.

3. In Festo S. Erasmi Episc. Mart. Missa. *Statuit ei Dominus.* ex communi unius Mart. Pontif.

Oratio. DEus, cuj, virtute B. Erasmus Martyr & Pontifex multa tormentorum genera superavit: fac nos, quæsumus, ejus intercessione universas insidias inimicorum nostrorum visibilium, & invisibilium cum gaudio superare, & in Christo bonis moribus abundare. Per eundem Dominum.

Evang. *Ego sum vitis, vos palmites.* ex communi plur. Mart. *tempore pasch.*

7. In Festo S. Vincentij Episc. & Mart. Missa. *Sacerdotes Dei.* ex comm. unius Mart. Pont.

Oratio. DEus, qui nos B. Vincentij Martyris tui atque Pontificis sacrum natalitium celebrare concedis: ejus continuâ intercessione super nos misericordiam tuam multiplica; ut cujus patrocinijs gloriamur, ejus suffragijs præsentis vitæ subsidia, & æternæ salutis præmia consequamur. Per Dominum.

8. *Pro Commem.* S. Medardi Episc. Confess. *Oratio.* Da quæsumus Omnipotens Deus. *de communi Confess. Pont.*

22. In Festo Decem milliũ Mart. Missa. *Sapientiã Sanctorũ.* ex com. plur. Mart.

Oratio. PRæsta quæsumus Omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognoscimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

25. In Festo Commem. S. Joannis Apost. & Evang. totum *uti in Romano, die octavâ ejusdem 3. Januarij.*

JULIUS.

3. *Pro Commemorat.* S. Udalrici Ep. Conf.

Oratio. OMnipotens sempiterne Deus B. Udalrici Confessoris tui atq; Pontificis supplicatione placatus, tempora nobis pacifica tribue præsentia, & ab hostium visibilium & invisibilium nos defende nequitia. Per Domin.

7. *Pro Commemor.* S. Wilibaldi Ep. Conf.

Oratio. DEus, qui hodiernam diem B. Wilibaldi Confessoris tui atque Pontificis migratione consecrâsti, præsta quæsumus, ut cujus annuâ celebritate exultamus, ej⁹ suffragijs tuæ pietatis consequamur effectum. Per Dom.

8. *Pro Commem.* SS. Kiliani & Soc. Mart.

Oratio. PRæsta quæsumus Omnipotens Deus, ut Beatorum Martyrum tuorum Kiliani, Kolonati, & Thothnati solemnia recensentes, meritis ipsorum protegamur & precibus. Per Dom.

12. Translatio S. Thomæ Apost. *omnia ut in festo ejusdem 21. Decembris.*

27. In Festo Divisionis Apostolorum. Missa. &c. *uti supra.* Evang. *Convocatis JEsus duodecim Apostolis.* ex feria 5 infra octav. Pentecost.

27. In Festo S. Christophori Mart. Missa *In virtute tua.* ex comm. unius Mart. non Pontif.

Oratio. DEus, cujus virtute B. Christophorus Martyr diversa superavit genera tormentorũ; fac quæsum⁹, ej⁹ nos intervenientib⁹ meritis universas insidias inimici superare. Per Dom.

AVGVSTVS.

8. *Pro Commem.* S. Affræ Mart.

Oratio. FAmiliam tuam, quæsumus Domine, supplicantem propitius respice, ut quæ te inspirante deposcit, Martyris tuæ Affræ, Sociarúmq; ej⁹ patrocinijs assequatur. Per Dominum.

25. In Translat. S. Hedvigis Vid. Missa. *Cognovi.* de comm. nec Virg. nec Mart.

Oratio. DA nobis, quæsumus, Omnipotens Deus, in te semper gloriari, & concede, ut qui B. Hedvigis Translationis diem annuâ devotione veneramur, ipsi⁹ adjuti suffragio tuam gratiam consequamur. Per Dominum.

SEPTEMBER.

1. In Festo S. Ægidij Abbatis, omnia *uti in Romano.* de communi Abbatum.

6. *Pro Commemoratione* S. Magni Abbat.

Oratio. BEati Magni Abbatis Domine quæsum⁹, supplicatione plebs tua benedictionem percipat, ut de ejus precibus feliciter glorietur, & æternæ societatis lætitia gratuletur Per Dom.

10. *Pro Commem.* S. Corbiniani Ep. Conf.

Oratio. OMnipotẽs sempiterne Deus, qui nos depositionis S. Corbiniani Confessoris tui atque Pontificis annuâ recursione lætificas: concede, ut ej⁹ suffragantibus meritis ab imminentibus peccatorũ periculis liberemur, & æternis gaudijs perfrui mereamur. Per Dominum.

22. In Festo S. Lãberti Ep. & Mart. Missa. *Statuit ei.* ex comm. uni⁹ Mart. Pont.

Oratio. INtercessio quæsumus Domine, B. Lamberti Martyris tui atque Pontificis, tuam nobis non desinat placare justitiam, & nostrum tibi devotum efficere famulatum. Per Dominum.

24. *Pro Commem.* S. Ruperti Ep. Conf.

Oratio. ECclesiam tuam quæsum⁹ Domine, piâ miseratione custo-

di, & quam Beatissimus Confessor tuus & Episcopus Rupertus te præsidiante, purgavit ab hæresibus, ipsius orationibus non desinas momentis omnibus adjuvare. Per Dominum.

27. In Festo Translationis S. Stanislai Ep. & Mart. Missa *Statuit ei.* ex commun. unius Mart. Pontif. Oratio *uti in Romano* 7. Maij. Evang. *Ego sum Pastor bon*⁹, &c, ex Dom. 2. post Pasch. *Secreta, & Postcommunio ex Romano.*

OCTOBER.

10. *Pro Commem.* SS. Gereonis, & Soc. Mart.

Oratio. TRibue quæsumus, omnipotens Deus, Beatorum Martyrum tuorum Gereonis, Sociorúmq; ejus sacrarum precum ubique nos muniri suffragijs, ut eorum intervenientibus meritis, famulatûs nostri tibi placere possint obsequia. Per Dominum.

15. In Festo S. Hedvigis Viduæ. *uti in Proprio Boëmico*, sed hic dicitur *Credo.*

16. *Pro Commem.* S. Galli Abbatis, omnia *ex Romano*, de communi Abbatū.

23. *Pro Commem.* S. Severi Episc. Conf.

Oratio. DEus, qui æternæ gloriæ Beatum Severum Confessorem tuum atque Pontificem participem fieri concessisti; concede nobis propitius: ipso intercedente, aditū regni cœl estis, cujus ad bene vivendum informamur exemplis. Per Dominum.

24. *Pro Commem.* S. Severini Episc. Conf.

Oratio. DEus, qui B. Severinum Confessorem tuum atque Pontificem hodiernâ die suscepisti, atque remunerâsti; concede propitius; ut qui ejus gaudemus meritis, provocemur exemplis, & ejus intercessione veniam, & vitam mereamur æternam. Per Dom.

29. *Pro Commem.* SS. Crispini, & Crispiniani Mart. *Oratio.*

DEus sincerum lumen mentium, luxque perfecta Beatorum; da cordibus nostris, & dignam tibi orationem persolvere, & in Sanctorum tuorum Crispini & Crispiniani gloriosâ te semper victoriâ collaudare. Per Dom.

NOVEMBER.

6. *Pro Commem.* S. Leonardi Abbatis.

Oratio. MAjestati tuæ quæsum, Domine, Sancti Leonardi Abbatis pia jugiter nos commendet oratio: ut quem devoto veneramur obsequio, ejus suffragio sublevemur optato. Per Dominum.

10. In Festo S. Lazari Episc. Mart. Missa. *Statuit ei.* ex comm. unius Mart. Pont.

Oratio. DEus, qui per unigenitum Filium tuum Beatum Lazarum, quatriduanum mortuum suscitâsti à monumento, erige nos de tumulis peccatorum, ut mereamur adipisci consortium electorum tuorum. Per Dom.

Evang. *Erat quidam languens Lazarus.* ex feria sexta, post Domin. quartam Quadragesimæ.

13. *Pro Commem.* S. Bricții Episc. Conf.

Oratio. BEatus Brictius Confessor tuus & Pontifex Domine, quæsumus, piâ nos intercessione tibi commendet, ut ejus placito fulti suffragio, quam non meremur, indulgentiam consequamur. Per Dominum.

16. *Pro Commem.* S. Ottmari Abbatis. Oratio *ut in Proprio Boëmiæ.*

NB. Dominica post Octavam Omnium Sanctorum festum B. V. M. de Victoria. Missa *uti in Festo* B. V. Mariæ ad Nives. *Reliqua quærantur in Proprio Boëmiæ supra.*

VETERO-PRAGÆ, Typis Archi-Episcopal. Seminarij, in Collegio S. Norberti per Joannem Mattis. A. 1692.

MISSALE
ROMANUM

ANTWERPEN
1696.